Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26196
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Est qui confitetur domino quoniam potens est. et est qui confitetur quoniam sibi bonus est. et
est qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est et timet sibi. secundus
mercennarius et cupit sibi. Tertius filius et defert patri. Itaque et qui
timet et qui cupit utrique pro se agit. Sola que in filio est karitas non querit
que sua sunt. Quam ob rem de illa dictum existimo lex domini immaculata conver
tens animas. quod sola videlicet sit que ab amore sui et mundi avertere possit
animum et in deum dirigere. Nec amor quippe nec timor privatus
convertunt animam. Mutant interdum vultum vel actum. affectum nunquam.
Facit quidem nonnunquam etiam servus opus dei. sed quia non sponte in sua adhuc
duritia permanere cognoscitur. Facit et mercennarius. sed quia non gratis propria
tamen cupiditate convincitur. Porro ubi proprietas ibi singularitas.
Ubi autem singularitas ibi angulus. Ubi vero angulus ibi sine dubio
sordes sive rubigo. Sit itaque servo sua lex timor ipse quo con
stringitur. Sit sua mercennario cupiditas. qua et ipse artatur. quan
do temptatur abstractus et illectus. Sed harum nulla aut sine macu
la est. aut animas convertere potest. Karitas vero convertit ani
mas quas facit et voluntarias. Porro in eo eam immaculatam
dixerim quod nil sibi de proprio retinere consuevit. Cui nempe de
∴ nil — proprio est nil. profecto totum quod habet dei est. Quod autem dei est immundum esse non
potest. Lex ergo domini immaculata karitas est que non quod sibi utile est querit
sed quod multis. Lex autem domini dicitur sive quod ipse ex ea vivat. sive quod eam
nullus nisi eius dono possideat. Nec absurdum videatur quod dixi etiam deum
vivere ex lege. cum non alia quam karitate dixerim. Quid vero in
summa et beata illa trinitate summam illam et ineffabilem conservat
unitatem nisi karitas? Lex est ergo et lex domini karitas. que trinitatem
in unitate quodammodo cohibet. et colligat in vinculo pacis.
Nemo tamen me estimet karitatem hic accipere qualitatem vel aliquid
accidens. alioquin in deo dicerem quod absit esse aliquid quod deus non est.
sed substantiam illam divinam. quod utique nec novum nec insolitum est
dicente Iohanne deus karitas est. Dicitur ergo recte karitas et deus et dei donum.